

sedis legatis, quod Romanę debetur ecclesię, Constantinopoli elaboravit adscribi, faciente secum antiquo Constantinopolitano concilio, quando¹ est Nectarius ordinatus episcopus sub Gratiano imperatore et Damaso papa. Sed prevalentibus Nicenis canonibus et apostolicę sedis auctoritate molitio illa penitus est cassata, sicut in gestis Calcedonensis concilii² et in epistolis Leonis papae manifestissime reperitur.³

18. De his vero, qui metropolitani simu[l]^a et primates provinciarum existunt, idem, quod praemisimus, Nichenum dicit concilium⁴, ut, sicut apud Alexandriam et apud Anthiochiam, ita similiter apud caeteras provincias suis privilegia servantur ecclesiis. Unde et Africanum concilium ad Caelestinum papam scribit dicens⁵: Decreta Nichena sive inferioris gradus clericos sive episcopos ipsos suis metropolitanis apertissime commiserunt; prudentissime enim iustissimeque *viderunt quaecumque negotia in suis locis ubi orta *f. 25. sunt finienda nec unicuique provinciae gratiam sancti spiritus defuturam, qua aequitas a Christi sacerdotibus et prudentissime videatur et constantissime teneatur. Quod et canones Constantinopolitani demonstrant dicentes⁶: Ut illa, quę sunt per unamquamque provinciam, ipsius provinciae synodus dispenset, sicut Nicheno constat decretum esse concilio. Et Sardicenses canones dicunt⁷, quia hoc consequens esse videtur, ut de qualibet provincia episcopi ad eum fratrem et coepiscopum nostrum preces mittant, qui in metropoli consistit, ut ille et diaconum eius et supplicationes destinet, tribuens commendaticias epistolas pari ratione ad fratres et coepiscopos nostros, qui illo tempore in his regionibus et urbibus morantur, in quibus felix et beatus Augustus rem publicam gubernat. Et sanctus Gregorius ad Vincentium et ceteros episcopos scribit⁸: Hortamur, inquiens, fraternitatem vestram, ut, si quemquam vestrum pro causis propriis ubicumque longius compulerit ambulare necessitas, a metropolitano vestro secundum inditam a sanctis patribus regulam petere *licentiam debeatis nec eum postponere in aliquo *f. 25'. praesumatis, excepto si, quod non optamus, contra eundem metro-

^a) Zeilenende zerstört.

¹) Vgl. MIGNE 67, 169 (regul. Constantinopolitan.). ²) Vgl. MANSI 7, 442 ff. ³) Vgl. Leo I. an Pulcheria, MANSI 6, 195 ff. (J-K. 482); an Anatolius, MANSI 6, 198 ff. (J-K 483). ⁴) MIGNE 67, 148 c. 6. ⁵) MIGNE 67, 229 c. 138. ⁶) MIGNE 67, 171 f. c. 164. ⁷) MIGNE 67, 179 c. 9. ⁸) MG. Epist. 2, 190 (J-E. 1729).